



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni
Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

Kinckius, Matthias

Coloniæ, 1662

De ipsa præparatione ante Missam,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)



PARS IV.

Pia Documenta,

ET

BREVES MEDITATIONES,
ANTE, ET POST MISSAM, AD
utiliter per Annum præcipua salutis
nostræ Mysteria recolenda conti-
nens.

CAPUT I.

DE IPSA PRÆPARATIONE ANTE
Missam.

Quiunque ad sacram, atque ipsis
Angelis formidandam Sacerdotij
digi-

dignitatem vocatus est, Missamque e^o die peragere instituit, opus est, ut tempore convenienti dignam adhibeat præparationem, quæ in his, 4. præcipue consistit, scilicet: 1. Vitæ puritate. 2. Intentionis rectitudine. 3. Devotionis excitatione. 4. Et generali eorum, quæ sibi, alijsque necessaria sunt, postulatione.

§. 1. De puritate.

CHristus Dominus, quamvis Apostolis (quos Sacerdotes consecraturus, & Sacros. Eucharistia refecaturus erat) dixisset. *Ioan. 13. 10. Vos mundi estis*, tamen illud etiam adjectum: *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes laveret*; indicat homini, etiam à peccatis gravioribus, libero, affectus inordinatos (qui sunt animæ pedes, abluendos esse. Et si in Veteri Testamento) ubi tantum huius divinissimi sacrificij umbra erat) mandabatur, *Levitici. 2. Omnis qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt in eo, in quo est immunditia peribit coram Domino*, quantus candor, & quam insignis immundities ac dignitas, à Sacerdote Novi Testamenti